

lia gignuntur, ex aequo crassarum sunt partium, modicè astringunt & celerius inueterantur, minùsque ob suam lenitatem neruos tentant. Prætutianum, quod & ipsum è locis circum Adriam deuchitur, est odoratum ac minùs asperum: haustum copiosius eo se- se prodit indicio, quod & ebrietatem diu seruat, & soporem conciliat. Istricum Prætutiano simile est, sed vrinam vchemetiùs pel- lit. Chium, antedictis mollius est, probè nutrit, potui aptum est, ac minùs inebriat: flu- xiones cohibet, oculorum medicamentis vti- le. Lesbium, facile membra subit, Chio le- uius, & alio idoneum. Ephesium, eandē vim habet, quod Phygelites nominatur. Verùm Asianum è Tmolō monte, Messogites appella- tum, capitis dolorem affert ac neruos lēdit. Coum verò & Clazomenium, quoniam co- piösam maris aquam admixtam habent, fa- cilè corrumpuntur, inflationes excitant, al- uum turbant, ac neruis officiunt.

De Vini generum facultate.

CAP. XI.

In vniuersum vinum omne meracum & sincerum ac sua natura austерium, excalfacit, facile in membra distribuitur, stomacho co- uenit, appetentiam ciborum inuitat, cor- pus alit, somnum conciliat, robur auget & colo-

colorem commendat. Potum liberalius,
auxilio eit contra assumptam cicutam, co-
riandrum, pharicum, ixiam, meconium, ar-
genti spumam, taxum, aconita, fungos; nec
minus contra serpentium morsus & om-
nium ictus morsusve, quæ refrigerando ne-
cant aut stomachū in vomitiones effundunt.
Facit & ad dinturnam hypochondrij infla-
tionem, rosionem atque distentionem: itēm
que singultum, ac stomachi, intestinorum &
ventris rheumatismos. Vina conueniunt
sudatoribus & quibus corpus immodico su-
dore digeritur, maximè quæ sunt alba, veter-
ra & odorata. At quæ sunt vetusta simul &
dulcia, renum ac vesicæ vitiis sunt accom-
modatoria: necnon vulneribus inflamma-
tionib[us]que in succida lana commode im-
pohuntur. Quin & iisdem fera, phagedæni-
ca & affluentibus humoribus irrigua vlera
vtiliter fouentur. Porrò vina quibus a quæ
marinæ nihil additum est, austera & alba, ad
sanorum victus commode usurpantur. In
his præstant Italica: uti Falernum, Surrenti-
num, Cæcubum, & permulta alia ē Campan-
no agro, itēmque Prætutianum, Adrianum
& Siculum, quod Mamertinum appellatur.
Ex Græcis, Chium, Lesbium & Phygelites,
quod in Epheso gignitur. Crassa vero & ni-
grā, stomacho aliena sunt, flatuisque pa-

riunt : attamen corpus augent. Tenuia autem & austera, stomacho quidem prosunt, sed carnes ministris alunt. At quæ sunt validè vetera, tenuia & candida, vehementius virinas ciunt, & dolores capitis inferunt, nervosumque genus largius porta tentant. In media ætate, ut à septimo anno, potui saluberrima sunt. Modus autem pro ætate, anni tempestate, consuetudine & qualitate vini decernatur. Optimè verò præcipit, ut ne sitis immodica toleretur, & tantum potionis adhibeatur, quantum proluendis cibis sat sit. Siquidem ebrietas omnis, maximèque iugis frequentiorve, perniciosa. Enimuerò largior perpotatio neruos obseflos in dies remittere, mox borumque acutorum initia quotidie introducere consuevit. Attamen moderatè aliquot diebus vino indulgere, maximèque post aquæ potum, utile. Ita nanque modo quodā quæ sub sensum deinde cadunt recrementa ex alto euocantur, & per cæca corporis spiracula repurgantur. Sed illi perpotationi aquam superbibere par est : siquidem medicationis alicuius gratia factæ ex composito temulentiae remedium affert.

De vino Omphacite. CAP. XII.

VINUM quod Omphacites appellatur, peculiariter fit in Lesbo, vua nondum planè

planè matura, sed adhuc acerba, ad tres quatuor ve dies in cratibus siccata sole, donec racemi in rugis contrahantur. Ex iis postquam expressum est vinum, cadiis insolatur. Vim habet astringendi, stomacho amicam, & malacia laborantibus, ileosis, ægrè concoquenteribus & stomachi dissolutione vexatis vtilem. Creditur & absorptum pestilentibus affectibus auxiliari. Cæterum huiusmodi vina non nisi post annos complures potui apta sunt.

De vino Secundario & adynamo.

CAP. XIII.

LORA, quam Græci deuterian, alij poti-
mon appellant, patatur hunc in modum:
In vinacea è quibus vini triginta metretæ
expressæ fuerint, tres aquæ metretas adiicito;
ac ubi vinacea ipsa versaueris calcauerisque,
exprimito: expressum decoque ad tertias
partes, & in singulos residui congios salis bi-
ninos sextarios addito, ac post hyeme in ca-
dos defundito. Eo post annum vitor: celeri-
ter enim exolescit. Conuenit porro ægris
quibus vinum propinare dubitamus, & cogi-
mur tamen ipsorum desideriis obtemperare:
itemque à longa valetudine sese recolligen-
tibus. Fit & vinum quod vocant adynamon,
viribus iisdem quibus lora præditum. Pares
aquæ & musti mensuræ leniter ac lento igne

ferueſiunt, dum excoquatur aqua : reliquum
vbi refixerit, in vas picatum transfunditur.
Alij aquæ marinæ & pluniæ, mellis atque
mūſti pares miscent portiones, elutriant, &
in sole quadraginta diebus torrent. Huius-
modi potu ad eadem illa omnia post annum
vtuntur.

De Vino è labrusca expresso..

CAP. XIII.

VINUM è Labrusca nigrum, astringit:
proindéque prodest alui stomachique
fluxionibus, & ad cætera valet quæ astrictio-
nem contractionemque desiderant.

De Vino Melitite. CAP. XV.

VINUM Melitites datur in longis febri-
bus, iis qui stomacho sunt imbecilli: le-
uiter enim aluum emollit, vrinas ciet ac sto-
machum expurgat. Prodest & articulatio-
mōbo obnoxii, nephriticis & capitis infir-
mitate laborantibus: utile quoque mulieri-
bus aquam potantibus : siquidem odoratum
est, corporaque alit. Distat à mulso, quoniam
fit illud è vino austero ac vete & melle e-
xiguo : melitites autem, adiecto ad quin-
que cōgios austeri mūſti mellis congō, &
falis cyatho. Porro in magno vale sic: i-
psum oportet, quod locas amplior ad vehe-
menter effervescentum patēat, antedicto
fale sensim aspergo, quandiu effervuerit:

ac y-

ac ubi feruere desierit, in cados alios transfunditur.

De Mulso. CAP. XVI.

MULSVM præfertur, quod ex vetere vi-
no austeroque & bono melle factum
est. Tale siquidem mirùs inflat, & celeriter
in vsum venit. Ac vetus quidein, corpus alit:
quod mediæ est ætatis, alio vtile est, vri-
námque pellit. Sed à summo cibo sumptum,
nocet: inter initia verò potum, stomachum
implet, deindeque tamen appetendi audi-
tatem reuocat. Fit mulsum ut plurimum,
duabus vini metretis admixta una mellis.
Aliqui quòd promptius perfici exhiberique
possit, mel cum vino coquunt, atque ita trā-
fundunt. Alij impensè parcentes ad musti
feruentis sextarios sex vnum mellis adii-
ciunt, ac ubi feruerit, elutriant: dulce autem
permanet.

De Aqua mulsa. CAP. XVII.

AQVA mulsa easdem quas mulsum vires
obtinet. Cruda utimur, cùm ventrem
mollire volumus, aut etiam vomitiones in-
uitare: quemadmodum facimus ijs qui ve-
nena hauserunt, ipsum addito oleo propiná-
tes. Decoctam verò exhibemus exilis lan-
guidisque pulsus hominibus ac infirmis, tu-
fientibus, peripneumonicis & iis qui immo-
dico sudore digeruntur. Inueterata condi-

Ll. j.

titiāque, quam aliqui Hydromel propriē vo-
cant, dum media est ætatis, loræ & adyn-
amo vino in recreandis viribus respondet, si-
milēmq; vim adipiscitur: quare iis qui mé-
bri alicuius inflammatione laborant magis
quām lora ipsa accommodata est. Quæ ve-
rō vetustior est, in partium inflammationi-
bus aluōque astricta damnatur: at laboran-
tibus ex stomacho, aut cibum fastidienti-
bus, sudatorib[us]ve conuenit. Conficitur por-
rō, duabus aqua cœlestis veteris partibus ad
ynam mellis adiectis & insolatis: alij fonta-
nam aquam miscent, & ad tertias partes de-
coquunt, atque ita recondunt. Nec desunt
qui Hydromelitis appellationem tribuant
Apomeliti, quod elotis aqua fauis confici
seruarique solet. Id verō etiam meracius
confici oportet: aliqui & ipsum coquunt. Æ-
grotantium potui minime aptum est, quo-
niam ceraginis plurimum fibi vendicat.

De Aqua. CAP. XVIII.

D E aquis in vniuersum decernere, pro-
pter locorum proprietates ac peculia-
res naturas, itēmque cœlū aliisque non pau-
ca, difficile est. Magna tamen ex parte opti-
ma est, pura, dulcis & cuiuscunque tandem
qualitatis expers, quæque ne minimo qui-
dem tempore hypochondrijs immoratur,
insuperque quæ citra molestiam & expedite
permeat:

permeat, nec inflationes parit, ac denique
minimè corruptitur.

De aqua Marina. C A P. X I X.

Aqua maris calida est & acris, stomacho
aduersatur, aluum conturbat, & pituitam ex-
pellit. Si verò calida ad fatus adhibetur, ar-
trahit simul atque discutit: proindeque ner-
uorum vitiis, & pernionibus ante vlcera pro-
dest. Commodè miscetur cataplasmatis ex
hordeacea farina: itemq; emplastris & ma-
laginatis discutientibus idonea est. Ad mo-
uendas deiectiones tepefacta clysteribus in-
funditur: ad termina verò, calens. Eadem
psoræ, pruritus, lichenes, lentes, nimiòque
lacte turgentes mammæ fouentur. Sed & li-
uentia fotu discutit. Salutaris quoque est ad
venenatorum morsus ictusve, quæ quidem
tremores perfrictionésque inferunt: maxi-
mè verò scorpionum, phalangiorum aspi-
dumque: ac si quis etiam in ipsius calidæ so-
lium descenderit, auxiliatur. Quin & balneū
ex ea vtile malo habitu confectis iam diu
corporibus neruisque. Eiusdem feruentis va-
por, hydroponicæ, capitæ dolores, difficilēm-
que auditum leuat. Porrò sincera & citra po-
tabilis aquæ mixturam asseruata, virus de-
ponit. Alij eam præcoquunt, atque ita recō-
dunt. Cæterū datur ad purganda corpora
per se, aut è posca, aut vino, aut inelle: verunt
L. l. ij.

tamen post deiectionem insuper exhibetur gallinæ pisciumve iuscum, ad temperandam infringendam ve inductæ rosionis acrimoniam.

De Thalassomelite. CAP. XX.

QUOD Thalassomeli vocant, egregie purgare creditur. Temperatur autem æquis portionibus aquæ marinæ & pluia, itemque mellis, percolatis & picato vase per Caniculæ ardore insolatis. Sunt qui ad duas aquæ marinæ coctæ partes mellis unam adiificant, & vase condant: ac huiusmodi quidem conjectura moderatior mitiorque est ipsa aqua marina.

De Aceto. CAP. XXI.

ACETOVM refrigerat & astringit, stomacho est utile, & appetentiam cibi excitat: erumpentem unde cuncte sanguinem potu insessive fistit: prodest alii fluxionibus, cum cibariis coctum: cruentis vulneribus idoneum est, ac inflammationes arcet, in succidis lanis aut spongiis impositum. Reprimit & procidentia sedis vulvæque: item gingiuas abscedentes & sanguine manantes. Est etiam efficax ad nomas, erysipelata, herpetas, lepras, lichenas & pterygia, si cum aliquo conuenienti misceatur: phagedænas ulcerum nomásque fotu continuo cohabet: podagricis calido fotu cum sulphure auxiliatur;